

xit, ut de Principatus restitutione continuo cogitare cœperit: ad quod ipsum Urfeolus tantum sibi moræ deposcit, quoad Rempublicam in meliorem statum redigisset. Jussum itaque intra annum Gallum redire, a se dimisit: interim ad pientissima quæque opera converfus, pauperes amplexus, miro studio eorum inopiam sublevabat. Condidit ad hæc pium diverſorium, quod hodie e regione fori visitur. Collegia præterea, clerum, religionem omnem incredibili charitate protegere ac fovere: Vitalem absentem, & homines ejus factionis quotidie res novas molientes, quorum nefaria confilia divinitus ajunt rescire solitum, mira patientia sustinere. Demum anno per hæc opera circumacto, noctu (nam Guarinus præsto illi ad constitutum tempus affuit) ignoto habitu urbe egrefsus, conjuge, nato, necessariisque ejus profectionis ignaris, peregre profectus est. Eum magistratu patriaque excedentem Joannes Gradonicus, & Joannes Maurocenus, cum Romoaldo & Marino Ravennatibus, ejus consilii consciis, secuti sunt. Is procedente tempore ita religione & sanctitate profecit, ut post mortem in Aquitania, ubi reliquum vitæ egit, multis (ut quidam tradunt) sit miraculis illustratus. Altero itaque ab ejus creatione anno, tanto Principe privata civitas magno quidem merore affecta est, majore tamen desiderio.

Verum enim vero sic quoque publici regiminis haud quaquam oblita, pro magno negocio habuit, primo quoque tempore in desiderati Principis locum alium creare. Vitalis Candianus Petri Candiani tertii filius, consensu omnium Dux declaratur. Eo annitente, Vitalis Patriarcha Gradensis, qui metu populi ad eam diem exul fuerat, in patriam revocatus est. Nec multo post Principis suasum publicis legatis ad Othonem in Germaniam proficiuntur, qui Venetum nomen, ob atrocem Petri Candiani cædem, miro ad eam diem odio persequebatur. Ea legatio haud irrita fuit, placato Othonis animo: ad quod impetrandum multum profuit Vitalis præsentia, qui cæsi Ducis filius fuerat. Etenim illius saluti in primis consul-

tum

977

978  
Petrus Ur-  
feolus Reli-  
gionis cauſa  
clam ex Ur-  
be proficien-  
tur.

Vitalis Can-  
dianus Pe-  
tri Can-  
diani III. filius  
Dux crea-  
tur.